

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
TVMVLTVARIA
VARIOLIS NATVRALIBVS
MEDENDI RATIONE

QVAM
INDVLTV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

FACVLATAT. MED. SENIORE ETC.

PRO
GRADV DOCTORIS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. II. OCTOBR. CIQI O C C L X I X .

PVBLINE DEFENDET

AVCTÖR

THOMAS CHRISTIANVS GODOFREDVS JAENECKE
RVTHENO-VARISCVS.

HALAE
LITTERIS HENDELIANIS.

W. 2.1.0.1.4.8.2.3

CELSISSIMO AC ILLVSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO
H E N R I C O X I.
SEN. S.R.I. COMITI
D E R E V S S,
COMITI AC DOMINO PLAVIAE,
DOMINO IN GREITZ, CRAMIHFELD, GERA,
SCHLEITZ ET LOBENSTEIN,
ST. APOST. REG. STEPHANI ORDINIS COMMENDATORI
&c. &c.
GRATIOSISSIMO SVO DOMINO

CELSISSIMO AC HIC O H
SCRIPTVM ACADEMICVM

HENRICO X
CEV

DEVOTISSIMAE

VENERATIONIS AC PIETATIS

MVNIMENTUM

DOMINO AD DOMINUM TANITAM

SE

SVAMQUE FORTVNAM

HVMILLIME COMMENDANS

SACRVM ESSE VOLVIT

HVMILLIMVS AC DEVOTISSIMVS SERVVS

THOMAS CHRISTIANVS GODOFREDVS JAENECKE.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
TVMVLTVARIA
VARIOLIS NATVRALIBVS
MEDENDI RATIONE.



§. I.

Morbi sanantur Natura et Arte. *Illa* saepe sola sufficit; *haec*, non nisi Naturae beneficio et adiumento suffulta, salutaris evadit. Aurea hinc regula promanasse videtur, qua adfirmatur: Medicum, in curandis morbis occupatum, Naturam obseruare, viresque eius medicatrices, pro rerum, quae circumstant, diuersitate erigere,

A

de-

G G

deprimere, dirigere debere. Cui methodo insistentes omnis aeuⁱ Medici, felices, in sanandis morbis, existere, generique humano salutiferi; qui vero, siue ignari, siue nimium sapientes, hanc viam reliquere, homicidae facti, artem salutarem alis diridendam propinarunt. Numquam ergo *tumultuaria* morbis medendi methodus eligi debet, i.e. ea, qua, Naturae moliminiibus susque deque habitis, e vaga obseruatione atque ratiociniis, suis illecebris nimium placentibus, remedia eruuntur atque auxilia. Numquam vero magis eiusmodi methodus suum extulisse visa est caput, quam in variolarum naturalium curatione. Quot heroica medicamenta, non expensis recte aegri conditionibus, exhibentur! Quot ingenii segmentis, Naturae interdum beneficio non nocentibus, methodus non raro debetur, quam commendatissimam esse in variolis boni somniant Viri! Liceat mihi, cum variolarum naturalium curatione adeo famosa facta sit, nostris in primis temporibus, heroica quaedam remedia per illustrare, quorum abusus, variolas naturales, sat benignas, saepe lethales reddidit.

§. II.

*Venae se-
ctio.*

Est ea morbi variolosi natura, ut febre plerumque stipitur, ad inflammatoriam accidente. Nunc cum venae sectio inter optima, et recte quidem, referatur antiphlogistica: hinc sine dubio ratio peti debet, quare tot Medici, variolas naturales curantes, venae sectionem, eamque saepe plus vice simplici institutam, commendant. Neque damnari huius remedii usus potest, quando plethora magna, febris inflammatoria excedens, et, ab una alteraue caussa productae, enormes sanguinis congestiones versus interiora loca obtineant. Cum vero variolae naturales dentur, quas conditiones contrarie comitantur; cum variolae in primis existant, quibuscum, febris inflammatoriae loco, aut putrida, aut lentae neroles species, notante *H V X H A M O*, coniungitur: patet, dari variolarum naturalium casus, quibus nequit, sine aegri damno, venae

venae sectio opponi. — Materia variolosa, vi vitae ad habitum corporis externum propulsâ, optime eliminatur. Plethora vrgens, febris inflammatoria magna, congeffio enormis versus loca interiora, hanc virium naturae humanae actionem impediunt. Sunt ergo cito, sufficiente, saepeque repetita venae sectione tollenda. Quodsi vero eorum impedimentorum nullum adsit: sanguinis euacuatio debilitat, viresque naturae frangendo materiam nocuam retinet in corpore, quod, quanto cum aegri incommodo fieri debeat, nemo non videt. Idem de reliquis temperantibus dicendum, quae debilitant, qualia sunt nitrofa. Optime conducunt, quando febris variolosa nimis valida est; nocent, quando aut moderata, aut nimis parua exsistit.

§. III.

Qui methodum calefacientem adeo damnauit optimus sy-
DENHAMVS: opiate, in curandis variolis naturalibus, non solum
admisit, sed etiam commendauit, praeconcepta illa opinione, qua
opio refrigerans ascribitur virtus, non minus, quam alii imbu-
tus. Neque defuerunt laudissimi Viri, qui EIVS vestigia pre-
ferunt, in febre maxime secundaria opiate, varias ob cauffas, lau-
dantes atque adhibentes, idque parca non semper dosi. Missis ea
de re obortis disceptationibus: breuiter ea exponam, quae opia-
torum in variolis usum respiciunt. Febris variolosa modo inflam-
matoriae, modo putridae, modo lentae neruofae naturam genium-
que induit. Si inflammatoria variolas comitetur febris: exce-
dens plerumque obseruatur, vt, ad eam cohibendam, methodo
antiphlogistica opus sit. Quare tunc opiate, relata ad hanc febrim,
conducere nequeunt, vt pote quae, exakte id docente Celeberr.
TRALLES, sua natura calefaciunt, corque atque arterias ad
maiores contractiones sollicitant. Fit interea nonnumquam, vt,
quam dixi, febris nimis sit parua, educendae materiae variolofae
per cutaneum corporis habitum impar; atque eo in casu, vt ana-

A 2

leptica

leptica et irritantia generatim, sua laude non destituuntur opiate, aromatibus plerumque, ut credunt, simul correcta, vel ab ipso TISSOTO tunc cum fructu usurpata. Si putrida adsit febris: opiate, licet a tot Medicis his maxime febribus destinata legantur, reiici debent, cum resoluant sanguinem eumque attenuent, atque id putredinem augere soleat, quod sanguinem, nisi simul antisepticum forsitan existat remedium, dissoluit. Neque dici deber, opiate his in febribus cordis debilitati sanguinisque fracto impetui, irritante sua virtute, consulere. Longe enim melioribus gaudet Medicina remediis, quae antiseptica simul, virium torpori, febribus putridis sollemni, occurrunt, quae inter Camphora, Cortex, acida mineralia tam diluta, quam dulcificata palmam reliquis praeripere videntur. Si demum *lenta neruosa* accedat febris: fugienda certe omnia, quae neruorum debilitatem augment. Quis vero est, quin sciat, opiate, sensilitatem vimque musculorum insitam minuentia, genus neruosum torpore afficere?

§. IV.

*Eorum no-
xae vte-
rius expli-
cantur.*

Possunt quoque opiate alia damna inferre. Cum enim sudorifera sint: noxas omnium sudoriferorum, in variolis adhibitorum, debilitatem nempe, defecatum seri, immeabilitatem humorum, enormem materiae variolosae copiam, sibi relicta, producent. Praeterea inter omnes constat, quantum, in confluentibus variolis, saliuatio conducat, quam minui opiatorum usu nemo nunc facile negabit, cum vim neruorum infringat. Interdum porro critica contingit, primarum viarum ope, materiae variolosae euacuatio; verum hanc quoque opiate sufflaminant. Quis denique non videt, opiate omnia ferme symptomata variolosi morbi intendere posse? Opium congestiones versus caput, laesam respiracionem, aestum, somnum profundum, stuporem, febrim etc. producit; morbus vero variolosus his ipsis symptomatis iam stipatus cernitur. Neque facile opium, ob eas, quas adferunt, rationes laudem

5

laudem in morbo varioloso meretur. Refraenare eius usum stu-
dent, quam excedere iudicant, febrim. Satisne vero bene? Non
admittent id certe, qui naturam opii norunt, geniumque febris
variolosae intelligunt. Nascitur variolosa febris partim ab acri,
sanguinis massae illato, partim a commota, plerisque in casibus,
inflammatoria sanguinis spissitudine; utroque enim corpore cordis
substantia irritatur et arteriarum. At enim vero opium, licet po-
tentia resoluat, diathermiam tamen inflammatoriam, pro ratione
omnium remediorum, quae exaestuant, auget, eo id magis perfi-
cens, quo valentius sudorem pellit. Acre etiam variolosum mi-
nime emendat et corrigit, quod nemo facile affirmabit; nec copiam
etiam eius, licet sudorem moueat, minuit, cum 1) facto sanguinis
orgasma, quantitatem illius facile augeat; 2) salivationem suppri-
mat; atque 3) sudores saepe, nondum cocta materia variolosa, pel-
lat, maligne sic, expulso benigno sero dilueente, miasma ipsum re-
tinens. Cum ergo caussas febris variolosae opium vix imminue-
re valeat: nec excedenti ei destinari poterit, praecipue cum a
commouente eius atque sudorifera vi dolor et inflammatio pustu-
larum variolosarum, nouae febris caussae, increaserint, atque resorp-
tiae materiae purulentae in ichore mutatio adiuvetur, eius vero
per intestina euacuatio, adeo interdum salutaris, impediatur. Non-
ne vero febris ista variolosa ideo forsitan ab opio suis circumscri-
bitur limitibus, quod opium sensibilitatem et irritabilitatem minuit,
quibus scilicet imminutis, febris, praesente licet eius caussa, aequa
minus contingere possit, ac dolor, si, eius caussa praesente, ge-
nus nerucsum obtundatur? Verum perpendi debet, quod opium,
licet praedictas corporis vires imminuat, cordis tamen et arteria-
rum motus augeat, quod *Celeberr. TRALLE*s luculenter docuit,
atque in variolosa febre, ut vidimus, eius praeterea caussas valen-
tiores reddit — Inquieres porro aegrorum opiate indicare quibus-
dam videtur. Sed opium motum sanguinis intendit, auget quo-
que pustularum inflammationem, dolorem inde pendente atque

congestiones versus pectus et caput; saliuationem contra ea minuit; quibus non raro inquietus aegrorum tribui debet. Praeterea monuit **TISSOT**, somnum in variolis non adeo optandum esse, (vid. **EIVS Epist. de Variol. Apopl. et Hydr.**); vt ideo nec haec opii virtus satis bona in variolis praedicari possit.

§. V.

Vsus Opii in variolis.

Quamuis autem ex his constare credam, opium multas magnasque noxas in variolis producere, nec posse, eam ob causam, pro remedio haberi, sine quo variolarum curatio, si malignae in primis fuerint, perfici nequeat, quae quidem preconceppta opinio multorum, adhuc Medicorum animis alte infixa haeret: attamen incident interdum casus, qui opii usum in variolis postulant. Ut enim de febre inflammatoria nimis parua nil dicam, quod nempe monui iam § III.: magna nonnumquam generis nervosi mobilitas, quam vocant, opiate requirit, cum, illa praesente, variolarum eruptio aut plane impediatur, aut inconstans tamen evadat. Conducunt quoque, quando excretio per primas vias, aut vomitu aut diarrhoea fese declarans, *symptomatica* praesto est, quam compescunt et refraenant. Atque haec de Opiatis dicta sufficient. Vid. pluribus *Celeberr. TRALLE* Tr. de Opio Sect. II. **EIVSDEM** Tr. de Inst. variol. vel admitt. vel repud.; et **TISSOT** Ep. cit.

§. VI.

Emetica et purgantia.

Sed emeticorum quoque et purgantium usus, in variolis curandis, inualuit. Sunt, qui iisdem semper vtuntur, sunt, qui interdum ea in auxilium vocant. Quod priores attingent: videntur sic iudicare. Quando variolosus morbus aegrum aggreditur: nauseae, vomititiones et actuales vomitus contingunt, non raro etiam diarrhoeae adsunt. Nunc vero naturam imitari licebit. Quae ergo cum materiam variolosam ipsa, primarum viarum auxilio,

xilio, expellat: Medicum emeticis et purgantibus utri oportet. Praeterea *Celeberr. DIMSDALE* usū laxantium eruptionem variolarum praepedire studet, censens, quouis id modo perficiendum esse. Liceat iam nostram de his rationibus sententiam ferre, easque paullo exactiori examini subiicere. Fatendum omnino est, solere naturam, in variolarum naturalium accessione, vomitus modo, modo diarrhoeas excitare. Non ideo tamen licebit, emetica statim aut purgantia exhibere. Quando enim Medici affirmant, viam, quam in expellenda materia nociva natura eligit, sequendam esse: id de natura, bene agente, intelligunt; alias enim sudores quoque colliquatiuos, diureses nimis largas, et vomitus, passioni iliacaec accedentes, promouere liceret, quod, credo, nemo defendendum suscipiet. Quare usū emeticorum et purgantium ideo commendatus in variolis, quod natura ipsa vomitus et diarrhoeas producit, si variolae naturales ingruunt, quaestionem de salubritate harum excretionum iam decisam esse ponit. Verum notum est, tantum abesse, vt indicatae excretiones in varioloso morbo semper sint salutares, vt potius interdum valedopere noceant. Quamuis enim in aegris, quorum primae viae cruditatum copia replete sunt, salutares existunt; licet etiam in his, qui variolis confluentibus laborant, ideo conducant, quod, cum cutis tunc non omnem materiam variolosam recipere queat, reliquiam eius materiae partem educunt, atque hinc *SYDENHAMVS* eos recte vituperauerit, qui eiusmodi euacuationes suppressimunt: tamen vomitus atque diarrhoeae, variolas naturales comitantes, dantur, quas salutares nominare non licet. Non raro enim accidit, vt istae euacuationes excedant, hincque aegrum debilitent atque variolarum eruptionem in cute impedian; non raro etiam symptomatiae solum sunt, ideo contingentes, quod contagiosa materia primas maxime vias ingressa est; non raro demum soli debilitati debentur, quae, cum promouendae materiae variolosae ad cutim impar sit, eam primis infert viis. Quae ergo cum ita sint: non possunt

possunt istae euacuationes semper salutares dici, neque hinc etiam semper licebit, naturam imitari. Praeterea in morbis, ab acri ortis, salutares interdum vomitus aut diarrhoeae comparent sic, ut naturam ipsam sufficere constet; quibus ergo in casibus, si obueniant in variolarum naturalium decursu, nec purgantibus, nec emeticis opus erit. Denique perpendendum est, praecipuam, qua natura materiam variolosam elucere conatur, viam esse cutim; reliqua itaque loca secretoria, ut euacuetur materia variolosa, non, nisi in necessitatibus casu, eligenda esse, ea paeprimis, quae, si excernant materiam, magna facile inferunt incommoda, quibus locis ventriculus maxime adnumerandus venit. Sed reponi posset, contagiosam variolarum naturalium materiam primas vias praecipue ingredi, hincque, ut ea iterum expellatur, emetica modo, modo purgantia indicari. Respondeo i. hanc ideo methodum in praecauendis magis, quam curandis variolis naturalibus conducere. 2. materia variolosa, cum subtilioris sit naturae, adeo facile absorbentia primarum viarum vasa ingreditur, ut vix cito remediorum emeticorum et purgantium usu variolosus morbus praecaueri possit. 3. Medicus rarissime vocatur tam mature, ut vix haustam materiam variolosam sic eliminare cum fructu possit. 4. cum materia variolarum naturalium per pulmones etiam aliasque respirationis vias cum corpore communicari queat, vereque saepe communiceatur: sequitur, vel omnibus concessis, emetica et purgantia non semper adhiberi posse.

§. VII.

Argumen-tum Cele-berr. DIMS-DALE per-penditur. Supereft, ut ad ea quoque respondeam, quae, ad commendandum in variolis naturalibus emeticorum et purgantium usum, adduxit *Celeberr. DIMSDALE*, famigeratissimus nostra aetate instituarum variolarum patronus. Cum ipsi videatur eruptio variolarum in cute non leuia incommoda producere: eo admittitur, ut variolosa materia, quantum fieri queat, aliunde dirigatur, id quod

quod maturo remedii, primarum viarum canalem purgante, inter alia perficere studet. Qua de re pluribus confer. EIVS Neue Methode für die Einführung der Pocken etc. Zürich 1768. Neque hanc methodum insitius solum variolis destinat, sed etiam naturalibus, licet eius in his salubritatem minus praedicare videatur (l. c. p. 75. seqq.). Nos, variolis insitius missis factis, naturalam earum, quae naturales sunt, cum praedicta tantum comparabimus medendi methodo. Monui iam §. anteced. vires corporis humani, si laudabiliter etiam agant, variolosam materiam ad habitum cutaneum propellere, eandemque, hac selecta via, eliminare. Videtur quoque is locus, cum et satis amplus sit, et minus nobilis, satis esse aptus ad exterminandam, quae concitat variolas, materiam. Nunc vero cum statuant Medici, idque recte quidem, quod via, quam bene operans natura indicat, feligenda sit: sequitur, methodum *Celeberr.* DIMSDALE, isti legi e diametro aduersam, sua destitui laude. Ductus ea lege Medicus non nisi tunc remedia eiusmodi dabit euacuantia, quando obseruat, adeo magnam esse materiae variolosae copiam, ut cutis capienda et fouenda huic miasmati impar sit (quo etiam in casu natura ipsa salutarem diarrhoeam, ut in variolis infantum confluentibus, excitare solet) atque naturam ipsam vel nullam aliam, quae satis apta sit, aut, quae per intestina contingit, excretionem moliri — Negari nequit, quod vrget *Celeberr.* DIMSDALE, eruptionem variolarum suis stipari incommodis, quae saepe magna sunt, atque praeterea vitia interdum relinquere, quae cutaneum habitum aut deturpant, aut alio modo laedunt. Nonne vero haec ipsa aut similia contingere possunt, quando materia variolosa ad primas vias, quoquis modo, deriuatur? Vasa certe primarum viarum iis respondent, quae cutaneum habitum perambulant, quo etiam sit, ut simile fluidum secernant. Quare materia variolosa, *vel* copia, *vel* qualitate pecans, aequre facile primas vias, ac cutim, inflammare ac exulcerare valet. Quae quidem istius materiae actio eo erit facilior, quo

B

faci-

facilius fieri potest, vt, ob minorem primarum viarum amplitudinem (si nempe cum vniuersa cute comparentur), pars materiae in vasis atque cellulari subsistat; eoque etiam tristior, quo magis internae sunt, quae laeduntur, partes. Neque quis credat, imaginaria haec esse. Docuit obseruatio, interiores quoque partes variolis interdum deturpari. Nonne simile quid ea in primis viis methodus, quae eruptionem variolarum in cute omni modo praepedire studet, efficere valet? Sed prouocabunt forsitan, qui methodo *Celeberr. DIMSDALE* fauent, ad obseruationes, quae docent, per vascula ventriculi et intestinorum materiam magis viscidam et spissam, quam per cutis poros, expelli posse; concludent hinc forsitan, materiam variolosam, licet in cutaneis vasculis subsistat, primarum viarum vasis inhaerere non posse, nec valere ideo, si eius paeprimis euacuatio aptis sustentetur remediis, ea mala producere, quae eam, retentam in cute, famosam reddiderunt. Nunc minime nego, posse in intestinis spissiorem, quam in cute, materiam fecerni, cum obseruationes vere doceant, materiam purulentam hic non adeo infrequenter deponi, quae cutanea vascula, quantum experientia hucusque testata est, transire nequit. Cum vero materia variolosa, non ob solam spissitudinem, sed potius ideo praecipue in vasis subsistat, quod acris exsistit atque irritans, prout id, aliis argumentis omisis, vel illae variolae comprobant, quibuscum resolutio sanguinis summa coniuncta comprehenditur: nec illo, quod dixi, arguento sic vti possumus, vt exinde colligatur, non posse in primarum viarum canali ea a variolosa materia enasci mala, quae eius in cute sequuntur vim atque potentiam - Raro praeterea occasionem Medici nanciscuntur, methodo *Celeberr. DIMSDALE*, in curandis variolis naturalibus, videnti, quod vel ipse Celeberr. Vir sensisse videtur (l. c. p. 77.). Plerumque enim tunè demum accersit *Médicus*, quando eruptio variolarum aut proxime infat, aut iam facta est; quo in casu fatetur *DIMSDALE*, non posse ab eius methodi vsu multa comoda

¶

¶

II

moda exspectari - . Denique variolae naturales dantur, quae mites sunt atque benignae, quaeque, nisi turbentur aut male tractentur, vix umquam ideo nocent, quod cutis habitum afficiunt; in his ergo inutilis certe erit indicata methodus, nonnumquam forsitan nociva, quod morbum turbat, qui non turbatus quam optime soluitur - Caeterum reliquam eius methodi, quam DIMSDALE tam in naturalibus, quam insituis variolis tractans, commendauit, partem dein considerabimus (§. IX.).

§. VIII.

Hucusque dicta eo tantum respiciunt, ut ostendatur, usum remediorum, per primas vias euacuantium, non *semper* debere in variolarum naturalium curatione admitti. Iam vero inquirendum (§. VI.): annon *interdum* laudem mereantur ac commendationem? Quod affirmare nullus dubitat, qui naturam variolarum bene intellectam in memoriam reuocat. Atque *primo* quidem variolae naturales subiecta nonnumquam inuadunt, quorum primae vias cruditaribus, malum morbi euentum praesagientibus, turgent; ad quas itaque expellendas, pro rerum, quae circumstant, diuersa ratione, modo emeticis, modo purgantibus uti possumus. Saliuatio *dein* variolosa emeticorum nonnumquam usum sibi vindicat. Quando enim ea maligne, ut fieri interdum solet, subsistit: praeter diluentia aliaque remedia, quae cauissimae impeditae huius euacuationis obuiam eunt, emetica indicantur, ut nausea excitata corporeque concusso, excretionem reuocent, quae suffocationis saepe metum iniicit. Laxantia quoque requiruntur, quando copia materiae variolosae adeo est magna, ut eam omnem cutis recipere vix possit; quando impetus humorum versus cutim, excedente febre inflammatoria, nimis est validus; quando congesiones versus partes superiores nimium vrgent; quando excretio aliud adeo obseruatur parca, ut incommoda inde oriuntur; quando demum purulenta materia, in febre variolarum confluentum

Uſus emetic. et purg. in Variol. natur.

tium secundaria, nimium in sanguine abundat, quo in casu, du-
ctum naturae sequentes MEAD et FREIND, praestantissimos
obseruarunt laxantium effectus. Quod caeterum euacuantia haec
leniora esse debeant; quod clysteres emollientes in spasim quoque
intestinorum, renum et vesicae vrinariae, si variolis naturalibus
accendant, conducant, adeo facile intelligitur, vt non opus sit,
pluribus id argumentis aut euincere, aut corroborare.

§. IX.

*Aér fri-
gidus et
aqua fri-
gida.*

Methodus, quam DIMSDALE dilaudauit, nos ad aëris
frigidi et aquae frigidae effectum ducit. Ut nempe Celeberr.
DIMSDALE cutim, quantum possit, contra variolarum eruptio-
nem defendat: aërem etiam frigidum aquainque frigidam commen-
dat; certumque omnino est, quod, habitu cutaneo sic constricto,
variolarum eruptio multum praecauiet debeat. Praeter hunc ve-
ro, quem praefixum haber, finem, aliud quid est, quod frigo-
ris vi et efficacia impetrare amittitur. Febrem nempe variolo-
fam tantum abest, vt lauder, vt potius damnet atque nocuam iu-
dicer. Frigoris ergo virtute eam supprimere studeat. Neque
negari potest, hac ratione febrem variolosam multum decrescere
debere. Frigus enim motus fluidorum intestinos aut praecauet,
aut mitiores reddit; frigidus itaque aér, cuti organisque respira-
tionis applicatus, frigidaque aqua ingurgitata materiae variolosae in
sanguinis massam actionem, hinc etiam febrim, inde pro-
ducendam, refrarenare potest. Frigus praeterea, sanguinem con-
densans solidaque constringens, celeriori sanguinis motui, quam-
diu eius actio durat, repugnat, indeque etiam febri, cuius qui-
dem essentia in nimis accelerato sanguinis motu posita esse inue-
nitur. Quid iam de laude huius methodi statuendum? Regi-
men in variolis calidum damnavit iam optimus et numquam satis
laudandus SYDENHAMVS; is ipse summus frigoris et methodi
antiphlogisticae exstitit patronus, vt eum etiam MORTON, SY-
DEN-

DEN HAMI ciuis, passim vituperauerit, censens, SYDENHAMVM, morbi variolosi diuersitates non satis distinguentem, ni-
mium quandoque fuisse in frigidi regiminis laude. Sed calida est
haec SYDENHAMI methodus, si ad eam referatur, quam
DIMSDALE extulit, interque Medicos celebrem reddidit - .
Missis vero ambagibus reuocemus hanc methodum ad examen,
paullo sollertiaustituendum. Febrem variolosam omnes, quan-
tum scio, Medici tamquam salutare naturae conamen considera-
runt, quo tam praparatio & coctio, quam euacuatio materiae
morbosae impetrari debeat. Neque in ea illos re errasse, vel
ipsa natura et obseruatio dicitant. Non potest enim satis apte
materia variolosa euacuari, nisi eius, vi solidorum perficienda,
praecesserit coctio, neque potest sufficiens huius materiae ex-
cretio contingere, nisi, motu sanguinis paullulum intensiori, cuti
aliisue locis se- et excretoriis laptis inferatur. Nemo ergo non
videt, requiri ad morbum variolosum, quam optime soluendum,
febrim aut motus saltim febriles. Qui ergo variolas naturales
curare annuitur, huius febris sic rationem habere deber, ut mo-
deratam sibi relinquat, excedentem minuat, nimis paruam vali-
diorem reddit. Plenaria itaque huius febris suppressio non potest
non aegris plus minusue nocere. Neque interpositus purgantium
vsus (§. VII.) omnes semper noxas praecaure poterit, cum aqua
valde frigida deriuatam ad intestina variolosam materiam eo faci-
lius in coarctatis vasis retineat, siccus damna, quae adduxi §. VII.
quaequa retentioni materiae variolosae debentur, adiuuare queat
et accelerare. Neminem etiam tristissimi nimii frigoris, in va-
riolis naturalibus admitti, effectus fugere possunt, licet quando-
que frigus, si variolosus nimio aestu flagraverit, optimum attu-
lerit auxilium. Denique nec ideo laudari deber haec methodus,
ut *Celeberr. DIMSDALE* videtur, quod eruptioni variolarum
in cute obicem ponit. Confer. §. VII. Attentionem imprimis me-
retur

retur casus, quem candidissimus Vir ipse narrat l. c. pag. 170. seqq. Vir quidam, benignis instituis variolis corruptus, temulentia primo capit, dein insensilitate, vera denique et lethali apoplexia afficitur. Narrat equidem *Celeberr.* DIMS DALE, aegrum, ut ipsi ex adstantibus vnum dixerat, nimiam carnis assumisse quantitatem; videturque IDEM, licet non aperte, lethalitatem morbi errori huic diaetetico dare. Methodum tamen magis in culpa fuisse, patet, si consideretur 1) aegrum negasse, nimiam se carnis copiam ingurgitasse, idque praefente eo, qui id affirmauerat; 2) eundem, post XLVIII. circiter horas ab assumptione carnis, lethali demum corruptum esse apoplexia, cum ea alias, si a nimia ciborum ingurgitatione pendeat, citius insequi soleat; 3) aegro, altero ab assumptione nimia ciborum die, datum fuisse purgans, quod virium admissum emendare poruisset; nihil minus tertio die subsequebatur apoplexia. Facile ergo Clarissimo Viro, qui transtulit *Celeb.* DIMS DALE libellum, que mortem aegri assumptioni ciborum minus, quam methodo medendi tribuit, assentior.

§. X.

Vesicato- ria.

Magnam etiam laudem, in curandis variolis naturalibus, adepta sunt vesicatoria; ut etiam audias interdum, Medicos non solum lata vesicatoria commendare, sed eiusmodi quoque, quae totam corporis peripheriam paene inuolunt. Vesicatoria, quatenus e cantharidibus componuntur, cutim valide irritant; vclus cutaneum efficiunt; parsque eorundem soluens, irritans, vias in primis virinarias, sanguinemque in putrilaginem conuertens, refumitur per absorbentia vas. Hinc boni malique cantharidum, indeque paratorum vesicatoriorum, effectus in variolis naturalibus intelliguntur. Quodsi nempe, ob virium torporem, aut erupcio variolarum naturalium languidius contingat, aut earum re-

troces-

trcessio metuenda sit: vesicatoria; vt omnia cutim irritantia,
 conducere possunt. Quodsi etiam materia variolosa vel in capi-
 te, vel in pectore, vel in alia parte interiori nimium accumula-
 ri videatur: vesicatorium, cuti applicatum, cum irritet, reuulsio-
 nem materiae efficere valet. Ipsum quoque illud, quod vesica-
 toria relinquere solent, vlcus, quodque apertum seruari potest,
 non minimam materiae variolae quantitatem expellit; hincque
 insignis est efficacie. Quibus tamen non obstantibus, possunt
 vesicatoria, ad curandas variolas naturales exhibita, damnosas
 euadere ac nociva. Cum enim pars cantharidum, vasorum ab-
 sorbentium ope, sanguinis massae inferatur, et cantharides, vt
 notum est, sanguinem adeo resoluere valeant, vt eum putridum
 reddant: in ea variolarum specie, quamcum putrida connexa est
 febris, cautus vesicatoriorum praecipitur vsus. Videri equidem
 posset, ac si summa virium prostratio, torpor in primis generis
 neruosi, atque pulsuum celeritas maior, quam fortitudo, quae
 in putrida variolarum febre obtinere solent, vesicatoria indi-
 cent; videri quoque posset, quod vlcera hic, a vesicatoriorum
 vsu in cute relieta, summae sint efficacitatis, cum materiam,
 cuius insignis copia aegrum oprimit, evacuent; quodque da-
 mna, a cantharidum externo vsu in sanguine oriunda, acidio-
 rum et decoctorum emollientium, largius haustorum, vi, et
 praecaueri et superari queant. Sunt tamen, quae ad ea respon-
 deri possunt. Quod enim primo summam illam, quamcum pu-
 trida variolarum febris stipata incedere solet, debilitatem atti-
 net: ea non sola vesicatoria indicat, cum, ea praesente, fina-
 pisimi, acida mineralia vel diluta vel dulcificata, camphora,
 china et plura alia analeptica & irritantia aequa, ac vesicato-
 ria, conducent, his omnino praeferenda, vtpote sanguinis pu-
 tridini aduersa. Vlcus dein artificiale, quod ab vsu vesicato-
 riorum remanet, magni quidem est momenti; at enim vero

id,

id, si eo opus fuerit, non solum cantharidum, sed aliorum quoque valde acrum et irritantium, externo vſu impetrari potest. Denique verum quidem est, quod acida et decocta emollientia cantharidum in sanguinem actioni adversa sint: vix tamen sufficient, quando magna, quando multa, vt nonnulli volunt, vesicatoria cuti imponuntur; neque his omnibus cautelis opus erit, si vesicatoriorum loco, alia aequa valentia remedia slegantur atque selecta vſurpentur — Si febris variolarum *inflammatoria* magna fuerit: vſus vesicatoriorum non minus vituperium meretur. Cum enim excedens eiusmodi febris antiphlogistica methodo refrænari debeat: omnia sine dubio vitanda sunt, quae sanguinem commouere valentius possent. Nunc vero vesicatoria, tamquam corpora fortiter irritantia, quorumque acerrimae particulae sanguini admiscentur, non possunt non sanguinis motum intendere, quod vel salutari corundem in febre nimis torpente effectus declarat atque corroborat. Quare etiam in eo, quem dixi, casu vitanda sunt et reiicienda. Nonne vero vesicatoriorum forsitan vſum congestiones humorum versus cerebrum, oculos, faciem, pectus, quae plerumque in excessu huius febris adsunt, indicant? Verum enim vero gaudet Medicina remediis, vesicatoriis in eo casu longe melioribus. Clysteres emollientes, balnea, inferioribus partibus applicata, cataplasmata aut emollientia, aut irritantia, pedibus admota, huc referri possunt. Nonne autem cantharidum externus vſus in hac febre dilaudandus, quod a vi particularum resorptarum attenuante, diathesis inflammatoriae resolutio, hincque febris decrementum, exspectari possit? Iudicavit sic *Clar. CLOSS*, cuius tamen argumentis obuiam iuit *Illiſtr. PRAESES* in *Differ. de malignitate variol. natural. tempestivo vesicator. vſu auertenda* (*Hal. 1767.*) §. III. Neque facile sanguinem, sic inspissatum, vt esse in febribus inflammatoriis folet, resoluere valent, cum notum

notum sit, hanc sanguinis spissitudinem ab omnibus istis remediis increscere, quae, licet attenuent, sanguinem ramen commovent, caloremque augent – . Ex dictis ergo pater, 1) vesicatoria minime eius esse indolis, ut semper in morbo varioloso conducant; 2) absorum esse, aut nimis lata vesicatoria corpori varioloso applicare, aut totam fere peripheriam iisdem inuoluere, quod vel dolor, quem ista remedia, in sensibilius praeprimis subiectis, efficiunt, interdit. Naetus caeterum hac de vsu vesicatoriorum, in variolis naturalibus, differendi occasionem, dictis, monente *Illustr. PRAESIDE*, tantum addo, *E.V.M.* post editam, quam adduxi, dissertationem academicam, vesicatoriorum loco rubefacientia solum applicasse, eosdemque, ac a vesicatoriorum vsu, salubres in variolis effectus obseruasse; quo ipso simul confirmatur, vesicatoriis non adeo in variolis opus esse, ac plerumque arbitrantur.

§. XI.

Est ea fere omnium heroicorum medicamentorum conditio, vt, cum morbis quibusdam grauibus aliisque remediis non cedentibus debellandis paria esse deprehendantur, eo facile Medicos adducant, ut iisdem nimium vrantur inque casibus ea commendent, in quibus commendari non debebant. Qui Opii, Martis, Mercurii, Chiane aliorumque fata in memoriam reuocat, minime ea de re dubitabit. Non mirandum ergo, quod mercurialium vsus, in naturalibus et insituis variolis, a quibusdam laudetur atque praestantissimus iudicetur. Atque possent quoque ut id confirmetur, argumenta afferri, a natura variolarum et mercurii desumpta. Mercurius nempe eiusmodi saepe morbos egregie sanat, qui corrupto fero acrique lymphae debentur, quod vtrumque fluidum, si morbus variolosus adsit, singulari acrimonia laborat. Praeterea mercurius in glandulas praeprimis

Mercu-
rialia.

C

faliua.

saliuales agit, fluidaque corrupta, producta eorum resolutione,
 hac via expellit; sed notum est, variolosam etiam materiam sponte
 huc vehi, atque salutari cum euētu exterminari. Videntur
 denique mercurialia, cūm subtilia sint, minima corporis vasa
 permeare, sive reliquias, a retenta materia variolosa oriundas,
 quam optime praecauere posse. His certe aut similibus argumentis
 factum est, vt a nostri aei Medicis tantum mercurialia passim
 laudentur. Quidquid vero in eorum laudem dici soleat: ab eo-
 rum vsu, si variolae naturales curandae veniant, caendum erit.
Primo enim manifestum est, mercurialia viru variolosum non
 corrigere, vt miasma venereum emendare solent. Quamus enim
 BOERHAAVIUS crediderit, posse forsitan materiam variolosam
 mercurialium vsu ita subigi ac emendari, vt corpori amplius non
 noceat: hanc tamen speciosam theoriam observationibus repugnare
 atque ipso euētu corruiſſe, neminem facile fugiet. Quodsi
 mercurialia ea insigni efficacia gaudent: non potuissent vñquam
 malignas excitare variolas, quas tamen vere produxerunt. Ne-
 que etiam variolae tunc obſeruari debuitſſent a diuturno mercu-
 rialium vsu; cui iterum experientia contradicit ac refragatur, cum
 doceat, in media interdum mercuriali saliuatione variolas obortas
 esse. *Secundo* mercurialia febri variolosae non facile destinari poſ-
 sunt. Inter summa enim debent attenuantia referri; augerent ita-
 que eam variolosam febrem, quae ad naturam putridae accedit.
 Cum sanguinem attenuare valeant: videri quidem posset, ac si, in
 febre variolarum inflammatoria, vt ſpissus sanguis resolvatur, adhi-
 beri queant; cum vero motum ſimul sanguinis intendant, longe
 alia hic requiruntur resoluentia, ea ſcilicet, quae antiphlogistica ſunt.
 Quando demum febris variolosa lentae neroſae naturam induit:
 roborantia et irritantia antiseptica indicantur, minime autem mer-
 curialia. *Tertio* inter omnes conſtat, quam facile mercurialia fan-
 guinis putredinem inducant. Nonne vero morbus variolosus, ſua
 natura

natura, in putridum facile sanguinis statum abit? *Quarto* demum nec ideo mercurialia commendari in variolis debent, quod materiae variolosae euacuationi inferuire videri possent. Ut enim haec perficiatur: corpore, quod putredinem adeo facile inducit, non opus est; sunt alia blandiora resoluentia et diluentia, quae tunc indicantur, quando natura ipsa non sufficit. Quare nulla vera potest ratio assignari, quae usum mercurialium in variolis suaderet, eo magis reiiciendum, quo certius nunc ex obseruatis constat, mercurialia pessimas induxisse variolas, nec optimorum Medicorum articedentes.

§. XII.

Supersunt in hac tractatione sudorifera dicta, quae ex resinosis, potenter resoluentibus et commouentibus, atque spirituosis, plus minusue dilutis, parari solent, ac magna interdum copia aegris propinari ac praescribi solent. Possunt inter illa mitiora, quae antisepтика simul virtute gaudent, ut *Punch* Anglorum, in putrido variolarum statu indeque orta debilitate summa, egregiam opem adferre. In febre autem inflammatoria variolarum excedente nocibunt, cum tenuissimam sanguinis partem, quae retineri debebat, expellant, sanguinem commoueant, salivationem salutarem supprimant atque statum inflammatorium augeant aegrumque debilitent. Nonnulla inter ea, quae potenter sudores pellunt, atque insita vi antisepтика destituta sunt, sanguinis etiam massam putridam reddere possunt, idque tam ob enormem, quem efficiunt, aestum, quam ob vim resoluentem, qua insigni gaudent. Est enim ea omnium resoluentium, quae simul commouent, natura, ut, in febribus inflammatoriis usurpata, spissitudinem sanguinis inflammatoriam vel augeant, vel eandem, vere producta eius resolutione, in putridam commutent materiem. Vtrumque autem aegro varioloso nocet.

T A N T V M.

ULB Halle
001 516 159

3



56

WB 18

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**TVMVLTVARIA
VARIOLIS NATVRALIBVS
MEDENDI RATIONE**

1769.12
QVAM
INDVLTV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

FACVLATAT. MED. SENIORE ETC.

PRO
GRADV DOCTORIS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. II. OCTOBR. CICIOCC LXIX.

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

THOMAS CHRISTIANVS GODOFREDVS JAENECKE
RVTHENO-VARISCVS.

HALAE

LITTERIS HENDELIANIS.

W.L.1.0.2.25.8.23